



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 58. Alberti Pauluccii Altieri Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

simā secunda Maij ad Regem deduxit, Sæc. XVII.
 a quo perbenigne excepti, fidei homa- A. C. 1698.
 gium exsolverunt, ac Regno exopta-
 tam pacem reddidere.

Sub idem ferme tempus sedente
 Ursino Cardinale Beneventano Archi-
 episcopo eruebatur urna, in qua Cor-
 pus sancti Bartholomæi Apostoli re-
 conditum a nonnullis credebatur, unde
 idem Archiepiscopus desuper decretum
 assentientibus Episcopis sibi subjectis
 promulgavit, cuius tamen haud ma-
 gna habebatur ratio, partim quod ejus-
 dem sancti Corpus Romæ in Templo
 P. Franciscanorum ad Insulam repositum,
 passim crederetur, partim quod
 fidelium devotio in Deum in Sanctis
 suis mirabilem, non in ossa in Altari-
 bus exposita tenderet. Denique sum-
 mo Pontifici per Reipublicæ Oratorem
 nuntiatum est, quod Veneta classis ini-
 to prælio cum Turcis in Ægeo mari
 insignem victoriam die vigesima Octo-
 bris reportarit, pluraque barbarorum
 navigia aut discerpserit, aut fugarit.

§. LVIII.

*Alberti Pauluccii Altieri Cardinalis
 obitus.*

Luxerat hoc anno Sacrum Purpurato- *Lexicon*
 rum Collegium mortem Alberti *Univ.*

Gg 5

Pau- *Lit. A.*

Sæc. XVII. Pauluccii. Hic ab Æmilio Altierio
 A. C. 1698. adoptatus, præter hujus familiæ bona
 etiam nomen retinuit: Impuber adhuc

Eggs Purp. doct. lib. 6. pag. 480. Clericalem vestem indutus, ac Cameræ
 Auditor nominatus, plura alia non
 minus honorifica, quam onerosa obi-

bat munia: cum autem ingenii excel-
 lentia, prudentia, eruditione, industria,
 ac copiosorum Ecclesiasticarum usu
 optime meritis esset, aliunde etiam
 fortunam cunctis suis cæptis propitiam
 haberet, præter opimas divitias, ac
 beneficia insuper Romanam Purpuram
 & Cameræ Apostolicæ Præfecturam ab
 Alexandro VII. ad dies vitæ obtinuit;
 ac paulopost Legatione Avenionensi,
 Triburtina Præfectura, ac delegata in
 omnes ditiones Pontificias potestate
 auctus, Ravenatensis Archiepiscopus
 nominatus est, pluribusque Sacris Con-
 gregationibus præfuit. Inter tot ta-
 men blandientis fortunæ illecebras non
 defuere adversitatum spicula; cum e-
 nim promulgato edicto Principum Ora-
 toribus de mercibus Romam advectis,
 eorumque usui non destinatis vectigal
 solvendi legem imposuisset, hi apud
 Clementem X. Papam vehementer in-
 stabant, ut Cardinalis suo amoveretur
 officio: hanc tamen procellam sola Al-
 berti dexteritas dissipare poterat; ipse
 enim ore & calamo suam agendi ratio-
 nem

nem tam strenue vendicabat, ut exteri Principes, quos offendisse timebat, suæ prudentiæ Encomiastes haberet: Tandem vero Sacri Collegii Sub-Decanus die vigesima nona Junii Romæ meritis plenus, ac Pontificiæ thiaræ dignissimus anno ætatis suæ septuagesimo quinto decessit, hæredem multarum opum relinquens Fratrem suum Angelum Marchionem.

Sæc. XVII.

A. C. 1698.

§. LIX.

Joannis Nicolai Conti decessus.

Hunc fatali mortis necessitate sequatur Joannes Nicolaus Conti, qui Poliani Ducis Filius sese adolescens sacræ militiæ dicabat, Romamque delatus cunctos honorum dignitatumque gradus emensus est, usque dum Avenionensis Pro-Legatus, Marchiæ Anconitanæ Prætor ac demum Romanæ Urbis Governator nominaretur: quo in muere cum se maxime commendatum redderet, ab Alexandro VII. Cardinalium Collegio adscriptus est, ac paulopost plurimum sollicitante Christina Suecorum Regina, Anconitanam Ecclesiam Episcopus regendam impetravit: Defuncto Clemente X. Papa, plurimorum suffragia in Contium collimabant, absdubio in Pontificem eligendum,

Palat. Fast.

Card. t. 4.